

S. Alberti Magni

Super Dionysium De divinis nominibus

De pulchro et bono

Fragmentum autographi S. Thomae

Quaestio 1

Expositio textus

[88325] Albertus Magnus, Super De div. nom. (De pulchro), q. 1 expos. In parte superiori determinavit de lumine, secundum quod per lumen significatur bonum. In parte vero ista determinat de pulcro, quod est effectus luminis, scilicet secundum quod se habet ad bonum significatum; et dividitur in partes duas. In prima determinat de pulcro, in quantum habet rationem boni, secundum quod ad ipsum est motus desiderii. In secunda parte gratia huius determinat de motibus diversis, scilicet desideriorum omnium; ibi: et moveri quidem dicuntur divinae mentes et cetera. Prima autem dividitur in duas. In prima determinat de pulcro secundum se. In secunda secundum quod accipit rationem boni; ibi: propter quod et idem est bono pulcrum et cetera. Prima iterum dividitur in duas. In prima ordinat suam intentionem. In secunda accedit ad suum tractatum; ibi: supersubstantiale vero pulcrum et cetera. Prima autem pars dividitur in duas. In prima dicit de quo est intentio, scilicet quia de pulcro, et pulcritudine, et delectabili, et delectatione. In secunda ostendit in quibus differant pulcrum et pulcritudo, et in quibus non, ne credatur in omnibus differre; ibi: pulcrum autem et pulcritudo et cetera. Circa primam partem duo dubitantur: primo de ordine istius partis, in qua determinat de pulcro, ad sequentem in qua determinat de diligibili: secundo quid sit pulcrum.

Articulus 1

[88326] Albertus Magnus, Super De div. nom. (De pulchro), q. 1 a. 1 arg. 1 Circa primum sic proceditur. Videtur quod prius determinandum esset de diligibili, quam de pulcro. Simplex est enim ante compositum; sed pulcrum habet intentionem compositam, quia, sicut dicitur infra in littera, ratio pulcri consistit in quadam consonantia diversorum, diligibile autem habet intentionem simplicem; ergo prius esset determinandum de diligibili, quam de pulcro.

[88327] Albertus Magnus, Super De div. nom. (De pulchro), q. 1 a. 1 arg. 2 Ad idem: quod se habet ex additione ad alterum, posterius est, sicut homo ad animal; sed honestum addit super bonum, et iterum pulcrum super honestum, ut infra patebit; ergo pulcrum est posterius bono. Diligibile autem dicit ipsum bonum; ergo prius debuit determinari de diligibili, quam de pulcro.

[88328] Albertus Magnus, Super De div. nom. (De pulchro), q. 1 a. 1 co. Solutio. Dicendum quod ea, de quibus intendit determinare in opposito Dionysius, sunt quaedam processiones divinae, idest quaedam bona procedentia a Deo in creaturis, quibus proficiuntur in divinam assimilationem, cum procedunt formali processione, sicut calido primo calida alia; et ideo secundum ordinem processionis debet attendi ordo istorum de quibus hic agitur. Prima autem processio, quae est in mente, est secundum apprehensionem veri, deinde illud verum excandescit et accipitur in ratione boni, et sic deinde movetur desiderium ad ipsum; oportet enim motum desiderii accendere

duplicem apprehensionem, unam, quae est in intellectu speculativo, quae est ipsius verbi absolute; alteram autem, quae est in intellectu practico per extensionem de vero in ratione boni, et tunc primo erit motus desiderii ad bonum. Sicut enim ars medicinae non consequitur effectum in operando, nisi adiuvetur virtute naturae; sic desiderium non movetur, nisi dirigatur per apprehensionem praecedentem apprehensioni. Igitur ipsi vero absolute respondet processio luminis, apprehensioni autem veri secundum quod habet rationem boni respondet processio pulcri, motui vero desiderii respondet processio diligibilis; et ideo primo de lumine, secundo de pulcro, et tertio de diligibili erit dicendum.

[88329] Albertus Magnus, Super De div. nom. (De pulchro), q. 1 a. 1 ad 1 Ad primum ergo dicendum, quod licet simplex sit ante compositum quantum ad ordinem rei, nihil tamen prohibet compositum, secundum quod accipitur in ratione veri, antecedere simplex quod accipitur in ratione boni tantum secundum motum desiderii, quantum ad ordinem processionum in animam: et similiter dicendum ad secundum.

Articulus 2

[88330] Albertus Magnus, Super De div. nom. (De pulchro), q. 1 a. 2 arg. 1 Circa secundum sic proceditur. Videtur enim quod pulcrum sit idem quod honestum. Quorum enim diffinitiones sunt eadem, ipsa sunt eadem; sed eadem diffinitio est honesti et pulcri. Utrumque enim diffinitur a Tullio, in principio de officiis, quod *sua in nos trahit, a sua dignitate nos allicit* etc.: ergo bonum et pulcrum sunt idem.

[88331] Albertus Magnus, Super De div. nom. (De pulchro), q. 1 a. 2 arg. 2 Ad idem: Dionysius infra dicit quod pulcrum est idem bono; non est autem idem bono utili, quia utile non est finis sicut pulcrum, nec iterum bono delectabili, quod frequenter turpe est; ergo cum bonum tripliciter tantum dicatur, relinquitur quod sit idem bono quod est honestum.

[88332] Albertus Magnus, Super De div. nom. (De pulchro), q. 1 a. 2 arg. 3 Ad idem: pulcritudo corporalis consistit in corporum commensuratione; sed animae compositio consistit in modo virtutis; ergo in virtute consistit spiritualis pulcritudo; virtus autem est species honesti, secundum Tullium: ergo pulcrum est idem honesto.

[88333] Albertus Magnus, Super De div. nom. (De pulchro), q. 1 a. 2 arg. 4 Ad idem: quaecumque habent eandem passionem, sunt idem, cum eadem passio sit eiusdem subiecti; sed pulcrum et honestum habent eandem passionem, scilicet laudabile; ergo sunt idem.

[88334] Albertus Magnus, Super De div. nom. (De pulchro), q. 1 a. 2 arg. 5 Ad idem: quaecumque sunt eorundem generum, et earundem specierum, ea quoque sunt eadem: sed species eadem assignantur a philosophis honesto et pulcro; ergo sunt idem.

[88335] Albertus Magnus, Super De div. nom. (De pulchro), q. 1 a. 2 arg. 6 Ad oppositum: quorum opposita differunt, ipsa quoque differunt; sed oppositum pulcri est turpe, honesti autem malum; et haec differunt: ergo pulcrum et honestum differunt.

[88336] Albertus Magnus, Super De div. nom. (De pulchro), q. 1 a. 2 arg. 7 Ad idem: si pulcrum et honestum essent idem, tunc ista nomina essent synonyma; et sic nulla differentia esset inter ea, cum Tullius assignet in libro de officiis differentiam unius ad alterum: ergo non sunt idem.

[88337] Albertus Magnus, Super De div. nom. (De pulchro), q. 1 a. 2 arg. 8 Ad idem: quaecumque separantur secundum esse, sunt etiam separabilia secundum essentiam; sed pulcrum separatur ab honesto secundum esse. Potest enim aliquando esse pulcrum sine bono, sicut dicitur in Proverb.: *fallax gratia et vana est pulcritudo*: ergo sunt diversa secundum essentiam.

[88338] Albertus Magnus, Super De div. nom. (De pulchro), q. 1 a. 2 co. Solutio. Dicendum quod pulcrum in ratione sui plura concludit: scilicet splendorem formae substantialis vel actualis supra partes materiae proportionatas et terminatas, sicut corpus dicitur pulcrum ex resplendentia coloris supra membra proportionata, hoc est quasi differentia specifica complens rationem pulcri. Secundum est quod trahit ad se desiderium, et hoc habet in quantum est bonum et finis. Tertium est quod congregat omnia, et hoc habet ex parte formae cuius resplendentia facit pulcrum. Quartum est ipsius pulcritudinis primae, quae per essentiam suam causa est pulcritudinis, scilicet omnem pulcritudinem facere. Quantum igitur ad primum, separatur ratio pulcri a ratione honesti et boni: quantum vero ad secundum, non separantur aliquo modo, quia illud accedit pulcro secundum quod est in eodem subiecto in quo est bonum: quantum vero ad tertium, convenit quidem quantum ad subiectum, quia et pulcro et bono accedit secundum quod est forma utriusque. Omnis enim cognitio pertinet ad formam, quae est determinans materiae potentiarum multipliciter; differt autem ratione, quia secundum quod forma est finis materiae, sic bonum accipit rationem congregandi. Secundum autem quod resplendet super partes materiae, sic est pulcrum habens rationem congregandi. Sic igitur dicimus quod pulcrum et honestum sunt idem in subiecto. Differunt autem in ratione, quia ratio pulcri in generali consistit in resplendentia formae super partes materiae proportionatas, vel super diversas vires vel actiones; honesti autem ratio consistit in hoc, quod trahit ad se desiderium: decus vero dicitur secundum proportionem potentiae ad actum.

[88339] Albertus Magnus, Super De div. nom. (De pulchro), q. 1 a. 2 ad 1 Ad illud ergo quod primo obiicitur, dicendum quod illa diffinitio convenit utrique propter universalitatem subiecti, cum super hoc addit pulcrum differentiam quandam quam complet ratione ipsius.

[88340] Albertus Magnus, Super De div. nom. (De pulchro), q. 1 a. 2 ad 2 Ad secundum dicendum, quod quamvis pulcrum sit idem honesto, non tamen oportet quod secundum rationem, sed subiecto tantum.

[88341] Albertus Magnus, Super De div. nom. (De pulchro), q. 1 a. 2 ad 3 Ad tertium dicendum, quod pulcritudo non consistit in componentibus, sicut in materialibus, sed in resplendentia formae sicut in formali; unde ex hoc non sequitur quod sit idem honesto, nisi in subiecto.

[88342] Albertus Magnus, Super De div. nom. (De pulchro), q. 1 a. 2 ad 4 Ad quartum dicendum, quod non oportet quod quaecumque habent eandem passionem sint eiusdem rationis, nisi illa sit propria passio. Ipse enim in quarto Ethicorum dat hanc instantiam, quod verecundia cum virtute convenit in hac passione quod est laudabile, non tamen est virtus, sed passio quaedam, cum oportet quod omne, cui convenit haec passio, sit virtus vel convenientia virtuti: et hoc bene concedimus de pulcro.

[88343] Albertus Magnus, Super De div. nom. (De pulchro), q. 1 a. 2 ad 5 Ad quintum dicendum, quod sicut honestum et pulcrum sunt idem in subiecto, et differunt in ratione, ita etiam eadem possunt esse species utriusque secundum subiectum, sed ratione differenti.

[88344] Albertus Magnus, Super De div. nom. (De pulchro), q. 1 a. 2 ad 6 Ad sextum dicendum, quod similiter est in natura quod pulcrum et bonum sunt idem in subiecto, sed non in ratione:

[88345] Albertus Magnus, Super De div. nom. (De pulchro), q. 1 a. 2 ad 7 Alia duo concedimus.

[88346] Albertus Magnus, Super De div. nom. (De pulchro), q. 1 a. 2 ad 9 Ad nonum dicendum, quod pulcrum numquam separatur a bono, sicut pulcrum corporis a bono corporis, et pulcrum animae a bono animae, et sic semper accipiendo circa idem; pulcritudo corporis autem dicitur quandoque vana, non respectu boni corporis, sed respectu boni animae.

Quaestio 2

Expositio textus

[88347] Albertus Magnus, Super De div. nom. (De pulchro), q. 2 expos. Dicit ergo quod *hoc bonum*, scilicet quod est in primo et procedit in alia, *laudatur a cunctis theologis sicut pulcrum et sicut pulcritudo*. Et hoc pertinet ad praesentem tractatum. *Et sicut dilectio et sicut diligibile*: et hoc pertinet ad sequentia; *et quaecumque aliae nominationes convenientes* idest decentes *pulcritudinis* sunt *pulcrificae*, secundum quod pulcritudinis potentiae est omnem pulcritudinem facere; et quae sunt habitae gratiosae et rapientes in se desiderium; et sicut dicitur homo graciosus, quia rapit ad se amorem hominum. Deinde dicit quod in causa prima non sunt separanda pulcritudo et pulcrum, tamquam sit ibi aliud pulcrum et aliud pulcritudo: ipsa enim propter hoc quod prima est, uno simplici comprehendit tota, idest omnia, secundum influentiam et continentiam. Sed in existentibus, idest in his quae ex alio sunt vel aliis habent esse (dicitur enim existens quasi ex alio sistens, secundum Riccardum de s. Victore), dicit in his, scilicet in causatis, dividentes supradicta duo secundum participans et participationem ipsam sive participatum, quod pulcritudo dicitur ipsa participatio, sive donum participatum a primo. Pulcrum autem dicitur ipsum participans.

Articulus 1

[88348] Albertus Magnus, Super De div. nom. (De pulchro), q. 2 a. 1 arg. 1 Videtur autem quod in primo non sit pulcritudo quae sit eadem pulcritudo. Ratio enim pulcritudinis consistit in proportione, ut in littera dicitur. Sed simplex non habet proportionem ad seipsum, quia omnis proportio est in duobus ad minus; cum igitur primum sit omnino simplex, videtur quod in ipso non possit esse pulcritudo.

[88349] Albertus Magnus, Super De div. nom. (De pulchro), q. 2 a. 1 arg. 2 Praeterea, si dicatur multiplicitas, in verbis tantum secundum quod est pulcrum et pulcritudo de ipso; aut hoc dictum est Catholicum et verum, aut non. Si est verum, oportet ergo quod sit aliquid respondens ex parte rei, et sic differunt in ipso pulcritudo et pulcrum sicut in aliis: si autem dictum non est verum, tunc nullo modo est dicendum. Si dicatur quod sunt idem, sed differenter secundum modum, quaeratur utrum ille modus habeat aliquid respondens in re, aut nihil. Si nihil, ergo est vanus; si autem habet, ergo redit in id quod prius, quod pulcritudo et pulcrum non sint in ipso, aut nullo modo dicantur de ipso.

[88350] Albertus Magnus, Super De div. nom. (De pulchro), q. 2 a. 1 s. c. Ad oppositum est quod dicit Boethius, in libro de consolatione philosophiae, de Deo loquens, mundum mente gerens pulcrum, pulcherrimus. Ipse autem Augustinus, exponens verba Hilarii, dicit quod in filio Dei est summa pulcritudo.

[88351] Albertus Magnus, Super De div. nom. (De pulchro), q. 2 a. 1 co. Solutio. Dicendum quod pulcritudo est in Deo, et est summa, et prima pulcritudo, a qua emanat natura pulcritudinis in omnibus pulcris, quae est forma pulcrorum: sicut dictum est de natura cognitionis supra. Est enim sua pulcritudo, et haec est conditio primi agentis, quod agat per suam essentiam, sed exemplariter in omnibus aliis.

[88352] Albertus Magnus, Super De div. nom. (De pulchro), q. 2 a. 1 ad 1 Ad primum igitur dicendum, quod Deus quamvis sit simplex in substantia, est tamen multiplex in attributis; et ideo ex proportione motus ad actum resultat summa pulcritudo, quod sapientia non discordat a potentia, et sic de aliis. Posset tamen dici, quod pulcritudo dicitur de ipso sicut de causa pulcritudinis; sed secundum hoc non esset in ipso pulcritudo, nisi ageret pulcritudinem sicut causa univoca: et sic non pertinet ad praesentem intentionem, et ideo oportet redire ad primam solutionem.

[88353] Albertus Magnus, Super De div. nom. (De pulchro), q. 2 a. 1 ad 2 Ad secundum dicendum, quod vere dicitur de Deo quod est pulcrum et quod est pulcritudo, non tamen oportet quod differant re, sed tantum secundum modum significandi. Unde dicendum ad tertium, quod ille modus habet aliquid respondens in re: oportet enim quod in causa prima sit simplicitas et perfectio, si prima est. Id autem quod significatur in abstracto, non significatur ut ens perfectum; quia vero dicit aliquid in se perfectum, et ideo ad significandam perfectionem causae primae, quae vere est in ipsa, oportet dicere de ipsa pulcrum, et ad significandam perfectionem eius simplicitatem oportet dicere quod est pulcritudo. Pulcrum enim non importat simplicitatem, sed ipse terminat modum cognitionis. Simplicitas etiam eius exigit, ut haec duo sint eadem res in ipso: *participationem causae facientis*

pulcra, tota pulcra, idest omnia pulcra. Hoc intelligitur de natura pulcritudinis, quae est forma pulcrorum, quae participatur ad esse omnium pulcrorum, et facit ea pulcra, sicut albedo alba. Si vero intelligatur de prima causa effectiva, sicut particulari, intelligitur per effectum ipsius: *supersubstantiale vero pulcrorum*.

Quaestio 3

Expositio textus

[88354] Albertus Magnus, Super De div. nom. (De pulchro), q. 3 expos. Hic accedit ad tractatum suum, et dividitur in partes duas. In prima determinat de pulcritudine. In secunda de pulcro; ibi: pulcrum autem sicut pulcherrimum et cetera. Prima pars dividitur in quatuor. De pulcritudine dicit (primo). Secunda incipit ibi: et sicut universorum. Tertia ibi: et sicut omnia ad se et cetera. Quarta ibi: et sicut tota et cetera. Dicit ergo primo: dictum est in causatis, pulcrum non est pulcritudo vere, idest supersubstantiale pulcrorum, idest inter omnia pulcrum *dicitur pulcritudo*, scilicet Deus, *propter pulcritudinem traditam ab ipso omnibus existentibus*, scilicet causatis, *iuxta proprietatem cuiuscumque*; quia natura pulcritudinis quod est una in se, sicut fluens ab uno principio, efficitur propria uniuscuiusque secundum propriam naturam suam. Non autem intelligendum est quod dicatur de Deo tantum pulcritudo, quia facit pulcritudinem, sed quia facit per essentiam suam sicut causa univoca, unde sequitur quod sua essentia, quae est ipse, sit summa pulcritudo et prima.

Articulus 1

[88355] Albertus Magnus, Super De div. nom. (De pulchro), q. 3 a. 1 arg. 1 Dubitatur autem hic utrum pulcritudinis sit facere pulcritudinem; et videtur quod non. Nihil enim agit nisi qualitas activa, vel qualitatem activam habens: unde albedo non facit album, sed potius color disgregando partes materiae ad receptionem luminis; et propter hoc omnis alteratio secundum philosophum reducit ad alterationes primarum qualitatum. Haec autem sunt quatuor tantum, quarum duae sunt activae, secundum quod motae, scilicet ab aliis, scilicet humidum et siccum; et aliae duae simpliciter, inter quas una agit sistendo motum, scilicet frigidum, unde secundum quid quodammodo activa est, altera vero faciendo motum, scilicet calidum: et ideo simpliciter activa, et prima. Sed pulcritudo, ut iam patet, non est qualitas activa, nec qualitatem activam habens; ergo eius non est pulcritudinem facere.

[88356] Albertus Magnus, Super De div. nom. (De pulchro), q. 3 a. 1 arg. 2 Si dicatur quod non facit pulcritudinem sicut agens, sed sicut forma. Contra: id ad quod non terminatur motus, sed consequitur ad motum, non facit esse formae, quia forma est terminus motus naturae; sed pulcritudo non est terminus motus, sed consequens motum; ergo non facit esse formae, et sic non est eius formaliter facere pulcritudinem.

[88357] Albertus Magnus, Super De div. nom. (De pulchro), q. 3 a. 1 arg. 3 Praeterea, id quod sufficienter habetur per comparisonem prius dictorum non oportet per novam processionem dari; sed pulcritudo sufficienter habetur per comparisonem formae ad materiam, quae prius data est a prima causa: ergo non est aliqua specialis processio pulcritudinis, et sic non est dicendum quod pulcritudo pulcritudinem facit, sicut de aliis quae proprias processionem habent a causa prima.

[88358] Albertus Magnus, Super De div. nom. (De pulchro), q. 3 a. 1 co. Solutio. Dicendum quod Dionysius hic loquitur de natura pulcritudinis in generali, quae est communis omnibus pulcris, ut forma eorum, quamvis appetitur secundum naturam eorum in quibus recipitur, secundum quod procedit a pulcritudine quae est in primo effectu pulcritudinis, per suam formam quae pulcritudo est sicut agens in motum. Unde pulcritudini quae est in causa convenit facere pulcritudinem omnium, sicut effectivum formale, non autem pulcritudini quae est pulcritudo formalis pulcrorum prout in se considerantur; facit omnia pulcra, et facit omnem pulcritudinem, secundum quod facit hanc vel illam pulcritudinem esse in hoc vel in illo.

[88359] Albertus Magnus, Super De div. nom. (De pulchro), q. 3 a. 1 ad 1 Ad primum ergo dicendum, quod pulcritudo quae est forma pulcrorum facit pulcritudinem vel pulcra formaliter, licet non effective; pulcritudo vero quae est forma primi agentis, facit pulcritudinem etiam effective: primum autem pulcrum effective efficit pulcritudinem, non actione physica, sed agendo per suam essentiam.

[88360] Albertus Magnus, Super De div. nom. (De pulchro), q. 3 a. 1 ad 2 Ad secundum dicendum, quod quamvis pulcritudo non sit terminus motus per se, est tamen terminus motus per accidens; quia sicut dicitur in VI physicorum, motus per accidens est in omnibus; non autem omne quod dat esse per modum formae oportet quod sit terminus motus per se.

[88361] Albertus Magnus, Super De div. nom. (De pulchro), q. 3 a. 1 ad 3 Ad tertium dicendum, quod formae comparatio ad materiam non sufficit ad rationem pulcritudinis, ubi imitatur forma luminis per quod resplendet super partes materiae, et ideo habet per se processionem pulcritudo.

Quaestio 4

Expositio textus

[88362] Albertus Magnus, Super De div. nom. (De pulchro), q. 4 expos. Deinde ponit secundam conditionem pulcritudinis, et dividitur in duo. In prima ponit conditionem quae complet rationem pulcritudinis in causa prima: in secunda manifestat per simile, ibi: ac similitudinem. Dicit ergo primo ibi, quod supersubstantiale pulcrorum dicitur pulcritudo, sicut *causa consonantiae universorum*, idest proportionis et claritatis. In his enim duobus completur ratio pulcritudinis ad *similitudinem luminis cum fulgore, immittens pulcrum universis rebus, pulcrificas*, idest pulcrum facientes *traditiones ipsius fontani radii* a quo procedit lumen sicut a fonte: idest sicut lumen, quod est causa pulcri, per emissionem radiorum a causa efficit omnia luminosa, ita etiam secundum emissionem fulgoris a fonte pulcritudinis omnia participant de ipsius pulcritudine; et propter hoc dicitur in causa pulcritudo per immissionem claritatis.

Articulus 1

[88363] Albertus Magnus, Super De div. nom. (De pulchro), q. 4 a. 1 arg. 1 Dubitatur autem hic de hac secunda conditione pulcritudinis. Unum enim simplex non consistit ex duobus. Sed pulcritudo est quaedam forma simplex; ergo non videtur quod ad esse eius concurrat claritas et pulcritudo.

[88364] Albertus Magnus, Super De div. nom. (De pulchro), q. 4 a. 1 arg. 2 Praeterea, claritas est in tertia specie qualitatis; consonantia autem cum sit qualitas circa quantitatem, qualitas est in quarta specie qualitatis; ex distantibus autem tantum non potest formari unum simplex: maxima ergo ratio pulcritudinis non conficitur ex his duobus.

[88365] Albertus Magnus, Super De div. nom. (De pulchro), q. 4 a. 1 arg. 3 Praeterea, Tullius in libro de officiis dicit, quod honestum dicit pulcrum secundum notitiam sui ab aliis; notitia autem non ponit aliquid in re ipsa quae cognoscitur: ergo non videtur quod claritas aliqua sit in ipsa pulcritudine.

[88366] Albertus Magnus, Super De div. nom. (De pulchro), q. 4 a. 1 co. Solutio. Dicendum quod sicut ad pulcritudinem corporis requiritur quod sit proportio debita membrorum, et quod color supersplendeat eis, quorum si altera deesset, non esset pulcrum corpus: ita ad rationem universalis pulcritudinis exigitur proportio aliquorum ad invicem, vel partium, vel principiorum, vel quorumcumque quibus supersplendeat claritas formae.

[88367] Albertus Magnus, Super De div. nom. (De pulchro), q. 4 a. 1 ad 1 Ad primum igitur dicendum, quod simplex non potest constare ex omnibus simplicibus, quasi ex partibus materialibus, aut quasi ex partibus essentialibus; potest tamen ex diversis effluere, quasi effective aliquid unum simplex, sicut forma mixti corporis est unum simplex quae manat ex diversis: potest etiam esse quod ad esse simplicis concurrant duo, quorum alterum sit sicut subiectum, et alterum sicut essentia rei; sicut ad esse similitatis concurrunt nasus sicut subiectum, et concavitas sicut essentia simi, et similiter ad rationem pulcritudinis concurrunt consonantia sicut subiectum, et claritas sicut essentia eius: et similiter dicendum ad secundum.

[88368] Albertus Magnus, Super De div. nom. (De pulchro), q. 4 a. 1 ad 3 Ad tertium dicendum, quod virtus claritatem quandam habet in se, per quam pulchra est, etiam si a nullo cognoscatur; ex qua tamen aptitudinem habet, ut cum quadam claritate in notitiam veniat: et propter hoc dicit Tullius, quod dicitur pulcrum et honestum, secundum quod respectu alterius dicitur, clarescit.

Quaestio 5

Expositio textus

[88369] Albertus Magnus, Super De div. nom. (De pulchro), q. 5 expos. Deinde ponit tertiam conditionem. Et primo ponit eam: secundo probat per significationem nominis apud Graecos, ibi: unde et calos et cetera. Dicit ergo quod supersubstantiale bonum dicitur pulcritudo sicut vocans omnia ad seipsum. Pulcritudo enim rapit omnia ad desiderium sui; unde et pulcrum apud Graecos dicitur kalos, quod est vocans: et nota quod in hoc fuit deceptus alius translator. Kalos enim per duo est scriptum, significat pulcrum apud Graecos; per unum vero, ibi, significat bonum: et ideo semper transtulit bonum pro pulcro, et ideo in parte ista alia translatio est tota vitiosa.

Articulus 1

[88370] Albertus Magnus, Super De div. nom. (De pulchro), q. 5 a. 1 arg. 1 Sed videtur quod hic non sit conditio pulcritudinis, sed potius boni. Illud enim, quod omnia exoptant, bonum est et non pulcrum.

[88371] Albertus Magnus, Super De div. nom. (De pulchro), q. 5 a. 1 arg. 2 Praeterea, si hoc etiam pulcro conveniat, cum etiam conveniat bono et honesto, videtur quod haec tria substantialiter unum sint, quia conveniunt in eo quod substantialiter inest eis.

[88372] Albertus Magnus, Super De div. nom. (De pulchro), q. 5 a. 1 co. Solutio. Dicendum quod hoc non convenit pulcro secundum propriam differentiam, qua completur sua ratio, sed ratione subiecti sui, in quo communicat cum bono quasi ex natura generis: et ideo non sequitur quod sit in eo quod dividatur ab ipso per differentiam aliam quae est ultima conditio; sicut homo et asinus separantur in ultimis differentiis, quamvis conveniant in eo quod est natura generis. Unde sciendum est, quod de ratione boni est quod sit finis desiderii movens ipsum ad se; et ideo diffinitur a philosopho, quod bonum est quod omnia optant. Honestum vero addit supra bonum hoc scilicet quod sua vi et dignitate trahat desiderium ad se: pulcrum vero ulterius super hoc addit resplendentiam et claritatem quandam, super quaedam proportionata.

Quaestio 6

Expositio textus

[88373] Albertus Magnus, Super De div. nom. (De pulchro), q. 6 expos. Deinde ponit quartam conditionem, dicens quod bonum supersubstantiale dicitur etiam, ibi, pulcritudo sicut in totis, idest in omnibus, congregans tota, idest omnia.

Articulus 1

[88374] Albertus Magnus, Super De div. nom. (De pulchro), q. 6 a. 1 arg. 1 At videtur, quod haec non debeat esse conditio pulcritudinis. Duorum enim differentium non debet esse unus actus substantialis; sed lumen et pulcrum sunt differentia, alioquin simul de eis determinaretur; cum igitur congregare sit essentialis actus, videtur quod non sit actus pulcritudinis.

[88375] Albertus Magnus, Super De div. nom. (De pulchro), q. 6 a. 1 arg. 2 Praeterea, cum congregata non sint simpliciter unum, sic esset enim simpliciter unus actus; pulcritudo autem est splendor ipsius formae; videtur quod pulcritudinis potius sit unire quam congregare.

[88376] Albertus Magnus, Super De div. nom. (De pulchro), q. 6 a. 1 arg. 3 Praeterea, quare aliquid accipiatur, istae tres conditiones sunt.

[88377] Albertus Magnus, Super De div. nom. (De pulchro), q. 6 a. 1 co. Solutio. Dicendum quod sicut vocare ad se, convenit pulcritudini in quantum est finis et bonum, sic etiam congregare convenit sibi in quantum est forma; et secundum hoc non convenit lumini. Nihil enim proprii congregare habet nisi forma, quae multiplices positiones materiae concludit in uno, secundum quod terminat ad ipsam.

[88378] Albertus Magnus, Super De div. nom. (De pulchro), q. 6 a. 1 ad 1 Ad primum igitur dicendum, quod lumen est de essentia pulcri; tamen pulcrum addit super lumen differentiam specificam, per quam diversificatur ab ipso. Lumen enim non dicit nisi emissionem radii a fonte luminis: pulcrum vero dicit splendorem ipsius super partes materiae proportionatas: et ideo non est inconveniens, si idem actus attribuitur utrique.

[88379] Albertus Magnus, Super De div. nom. (De pulchro), q. 6 a. 1 ad 2 Ad secundum dicendum, quod ratio pulcritudinis est proportio, quae requirit in se diversitatem aliquam; et ideo si dixisset unio, esset contra rationem pulcritudinis.

[88380] Albertus Magnus, Super De div. nom. (De pulchro), q. 6 a. 1 ad 3 Ad tertium dicendum, quod pulcritudini convenit aliquid secundum essentiam suam, et aliquid ex natura generis. Natura autem generis est dupliciter: aut in quantum est forma, aut in quantum est finis. Si in quantum est forma, convenit sibi congregare: si in quantum finis, sic sibi convenit vocare ad se. Essentia vero ipsius potest considerari duobus modis: aut absolute, et sic convenit sibi claritas et consonantia, quae hic est propria ratio eius; aut in quantum participatur ad rem pulcri, et sic convenit primae pulcritudini omnem pulcritudinem causare.

Quaestio 7

Expositio textus

[88381] Albertus Magnus, Super De div. nom. (De pulchro), q. 7 expos. Pulcrum autem sicut et pulcherrimum et cetera. Supra determinavit de pulcritudine: hic determinat de pulcro. Et dividitur in partes duas. In prima ponit modos pulcri, secundum quos est sine defectu pulcritudo in primo pulcro. In secunda probat illos modos, ibi: etenim simplici et cetera. Prima dividitur in partes duas. In prima ponit octo modos, secundum quos est pulcritudo, sine defectu sumptos; per oppositum octo modos, quibus causatur defectus in pulcritudine. In secunda assignat causam illorum modorum, reducendo in causam quamdam, ibi: sed sicut ipsum et cetera. Modi

autem sic sumuntur. Causa enim perfectae pulcritudinis potest considerari vel in re absolute, cui inest pulcritudo, vel secundum comparisonem ad aliud. Si in re ipsa absolute; aut ex parte ipsius formae, quae superfulget partibus pulcrificans eas; aut secundum partes pulcrificatas. Si secundum formam dupliciter; aut secundum idemprimitatem ipsius formae, vel diversitatem. Illud enim cuius pulcritudo dependet tantum ab una forma, est perfectioris pulcritudinis quam illud, cuius pulcritudo conficitur ex pluribus formis: et hoc patet per hoc quod dicitur in secundo coeli et mundi. Et quanto aliquid paucioribus acquirit perfectionem suam, nobiliter est, aut secundum modum eundem, vel diversum ipsius formae: quod enim aequalem semper recipit resplendentiam formae super se, est perfectioris pulcritudinis. Si autem secundum partes, aut hoc erit secundum situm partium in toto; et sic quod secundum totum pulcrum est, perfectioris pulcritudinis est, quam quod est secundum unam partem tantum; aut secundum partes temporis mensurantis extra, et sic quod non semper pulcrum est posterioris est pulcritudinis eo, quod alio non pulcrum est. Si autem secundum comparisonem ad aliud; aut secundum comparisonem ad causam, aut ad effectum. Si secundum comparisonem ad causam essendi, aut ad causam augmenti, et secundum principium dicit, quod illud quod non habet aliam causam facientem suam pulcritudinem est perfectae pulcritudinis, et quod vere se habet non deficientis: quantum vero ad secundum dicitur, quod id cuius pulcritudo non augmentatur vel diminuitur est perfectae pulcritudinis. Si autem in comparatione ad effectum, idest secundum quod suum effectum sit pulcrum secundum unum, et secundum alium non, nec secundum omnes, hoc dupliciter: quia aut comparatur ad diversa in specie, aut ad diversa in numero quae sunt eadem in specie; et utroque modo dicitur perfectioris pulcritudinis, quia respectu omnium pulcrum est his habitis. Littera sic exponitur. Diximus quomodo supersubstantiale pulcrorum dicitur. Pulcritudo autem secundum idem dicitur pulcrum sicut pulcherrimum, in quantum est perfectioris pulcritudinis omnibus aliis; et simul cum hoc superpulcrum, in quantum est causa omnium pulcrorum; et superexistens, propter eminentiam suae formae in pulcritudine secundum eadem, idest ab eadem simplici forma habens pulcritudinem non modificatam a pluribus formis; et similiter pulcrum, in quantum forma quae est causa pulcritudinis in eodem modo se habet; et neque factum pulcrum neque distinctum, eo quod non habet causam qua sit pulcrum, sed in seipso pulcrum et iam inamissibilem pulcritudinem habet: quia sicut probat Avicenna, omne quod ab alio habet esse, per se possibile est, et dependens de se ad non esse: *neque auctum, neque minoratum*, in quantum non habet causam augmenti pulcritudinis; neque in aliqua parte pulcrum, quantum ad partes ipsius: *neque aliquando quidem*, quantum ad partes temporis mensurantis: *neque ad hoc quidem pulcrum*, idest relatum ad unam speciem, quae est effectus eius, pulcrum, ad alia vero turpe; nec ad honestum pulcrum ad (...) turpe; sed ad omnem suum effectum pulcrum est, secundum unamquamque speciem. Neque hoc quod hic dicitur, secundum rationem ad diversos effectus qui sunt eiusdem speciei; sicut diceretur quod respectu hominum bonorum esset pulcrum, respectu malorum turpe. Universale enim est ubique et semper; et ideo quod dicitur hic, etiam illic ostenditur ratione individuationis: sicut quibusdam et cetera. Haec est expositio eius quod immediate dictum est.

Articulus 1

[88382] Albertus Magnus, Super De div. nom. (De pulchro), q. 7 a. 1 arg. 1 Videtur autem quod non respectu omnium sit pulcrum. Inter formas enim sunt quaedam propinquiores agenti, et quaedam propinquiores materiae: quae vero propinquiores materiae sunt turpitudini admixtae, quia nihil est causa turpitudinis, nisi materia cum privatione; secundum vero propinquitatem ad agentem sunt pulcræ. Cum igitur utrorum haec causa sit, supersubstantiale pulcrum, quod est Deus; videtur quod sicut respectu illorum est pulcrum, ita respectu aliorum sit turpe.

[88383] Albertus Magnus, Super De div. nom. (De pulchro), q. 7 a. 1 arg. 2 Praeterea Pythagoras ponebat duas sufficientias rerum, in una quarum ponebat bonum, masculum, pulcrum, quietem, et alia quae enuntiantur in primo Metaphys.; in alia vero oppositas his, scilicet malum, foeminam, turpe, motum, et alia. Aut igitur utrumque reducitur ad unum principium, quod est Deus, aut non: si non, ergo ipsum non comparabitur ad turpe sicut ad effectum; et sic nihil est quod dicit, quod respectu pulcrorum et turpium est pulcrum: si autem reducitur utrumque in ipsum sicut in causam, cum non sit causa alicuius, cuius exemplar non sit in ipso, oportet quod exemplar turpis sit in ipso; et sic debet dici turpe, sicut propter exemplar pulcritudinis pulcrum.

[88384] Albertus Magnus, Super De div. nom. (De pulchro), q. 7 a. 1 arg. 3 Praeterea, cum ipse causa sit (tam) turpis quam pulcri, aut ostendit turpe in se ipso, aut non: si non, ergo ratio turpis non est in ipso, et sic non erit

causa turpis, quia nullius est causa cuius ratio non sit in ipso; si autem ostendit, non ostendit nisi per exemplar turpis quod in ipso est: ergo exemplar sicut et exemplatum debet dici turpe respectu eius.

[88385] Albertus Magnus, Super De div. nom. (De pulchro), q. 7 a. 1 arg. 4 Praeterea, omnis transmutatio reducitur ad aliquod principium, quod non disponitur per illam: sicut sol dicitur calidus, quia est principium alterationis quae est secundum calorem, cum ipse non disponatur per calorem; et sic est quod primi motores corporales quamvis non disponantur per easdem, nominantur tamen passionibus quia sunt causae; sicut dicitur stella fortuna vel infortunium, bona vel mala: ergo similiter, quamvis principium non disponatur turpitudine, debet dici turpe propter effectus suos.

[88386] Albertus Magnus, Super De div. nom. (De pulchro), q. 7 a. 1 arg. 5 Item, si pulcrum principii sit causa existens non pulcrorum, aut est causa per mutationem sui exemplaris, aut per esse suum quod habet in causa. Si per esse, tunc idem esse haberent omnia quae sunt ab ipso; in ipso tunc omnia eodem modo procederent ab ipso et eadem ratione, quod est inconveniens; si per intentionem, cum eadem sit intentio in exemplari et in exemplato, quia in exemplari est ut vita et lux.

[88387] Albertus Magnus, Super De div. nom. (De pulchro), q. 7 a. 1 arg. 6 Contra, non omnia egredientia ab ipso habent vitam et lucem. Cum igitur egrediatur res ab ipso secundum huiusmodi rationes aut intentiones, non videtur quia sint vita et lux in ipso sic dictae. Sicut dicit Beda in Glossa super Joh.: quae sunt in causa, secundum naturam eius (sunt); et ideo sunt vita in ipso, quia causa vivit, et lux quia est lucens; sicut dicitur archa in mente artificis vita, quamvis secundum quod est ex lignis educta quae non sunt susceptiva vitae.

[88388] Albertus Magnus, Super De div. nom. (De pulchro), q. 7 a. 1 arg. 7 Contra, forma archae secundum quod est in mente artificis, est quaedam passio sive quoddam accidens; accidentis autem non est vivere: ergo videtur falsum esse quod dictum est.

[88389] Albertus Magnus, Super De div. nom. (De pulchro), q. 7 a. 1 arg. 8 Praeterea, philosophus in XI Metaphys. dicit, de divino intellectu loquens, quod quaedam melius est nescire quam scire, propter sui vilitatem; hoc autem non esset, nisi vilitas cognoscibilium redundaret in cognitionem; ergo et eadem ratione turpitudine cognoscibilium redundat in cognoscentem. Si igitur Deus causa est turpium, cum nihil ignoret eorum quorum causa est, oportet quod illis comparatus quodammodo habeat turpitudinem.

[88390] Albertus Magnus, Super De div. nom. (De pulchro), q. 7 a. 1 co. Solutio. Dicendum quod in Deo nulla valet cadere turpitudine, nec secundum se, nec in comparatione ad aliquem effectum; quia ad omnia comparatus, quae ab ipso sunt, pulcritudinem habet, sive sint pulchra sive turpia. Sicut enim pulcre apparet secundum comparisonem ad gloriam sanctorum, ita etiam pulcritudo sive iustitia apparet secundum comparisonem ad iniustitiam reproborum.

[88391] Albertus Magnus, Super De div. nom. (De pulchro), q. 7 a. 1 ad 1 Ad primum ergo dicendum, quod quamvis omnes formae sint a primo, quod sint propinquae materiae non habent a primo, sed a natura recipientium; sicut quod lumen occubat in nigro, et propinquum efficiatur tenebrae, non est a luce solis sed ab opacitate recipientis; quod tamen causa fulgoris in nigro est, a luce solis est: et similiter est de forma artis, quia in viliori materia minus clara efficitur, et in digniori magis.

[88392] Albertus Magnus, Super De div. nom. (De pulchro), q. 7 a. 1 ad 2 Ad secundum dicendum, quod Pythagoras consideraverit causas propinquas rerum, et ideo reduxit illas in diversa principia. Si tamen consideremus primum principium, id erit omnino a quo habent quidquid decoris est in ipsis; turpitudinem vero ex natura recipientis habent.

[88393] Albertus Magnus, Super De div. nom. (De pulchro), q. 7 a. 1 ad 3 Ad tertium dicendum, quod turpe in quantum habet aptitudinem ad pulcrum aliquid participat de pulcro; quia in eo quod est aptum ad formam, iam est inchoatio formae, ut dicit Avicenna; et secundum hoc ostenditur in primo, et habet exemplar in ipso. In quantum vero est turpe non habet exemplar in ipso, quia turpitudine defectus est, cuius Deus causa non est, nec mali in quantum malum, sed tantum eius quod est turpe.

[88394] Albertus Magnus, Super De div. nom. (De pulchro), q. 7 a. 1 ad 4 Ad quartum dicendum, quod motor corporalis habet potentiam ad minus ad ubi, et habet potentiam admixtam cum actu in quantum movetur; et ideo propter hanc conditionem imperfectionis, malum potest denominare ipsum cuius est causa: sed in Deo nihil horum est.

[88395] Albertus Magnus, Super De div. nom. (De pulchro), q. 7 a. 1 ad 5 Ad quintum dicendum, quod per intentionem formae exemplaris Deus turpium non causa est, cum illa intentio non facit exemplatum turpe, sed magis defectus ab intentione.

[88396] Albertus Magnus, Super De div. nom. (De pulchro), q. 7 a. 1 ad 6 Ad sextum dicendum, quod non dicimus omnia lux et vita esse in Deo, quia omnia procedunt ab ipso ut viventia vel lucentia, quamvis lucem omnia habeant in quantum participant de forma, etsi vitam non omnia habeant, sed dicitur per principium effectivum et cognoscitivum. Secundum enim potentiam effectivam, per quam inducit materiam ad formam, dicitur vita in ipso, quia vita dicitur secundum id quod est principium activum: unde etiam dicitur de motu coeli in VIII Physic., quod est vita quaedam natura subsistentibus omnibus. Secundum vero rationem operis, quae est in cognitione ut dirigens in operatione, dicitur lux.

[88397] Albertus Magnus, Super De div. nom. (De pulchro), q. 7 a. 1 ad 7 Ad septimum dicendum, quod est duplex species, scilicet rei, et species speciei. Species autem rei est, per quam res habet esse quae est in ipsa re, et non in anima, sed intentio secundum quam accipitur ab intellectu, dicitur species illius speciei, et haec est in anima: unde dicitur in tertio de anima, quod intellectus species specierum intelligibilium habeat, aut intentionem habet ab intellectu agente, qui ponit formam suam super id quod accipitur a sensibili: unde quando dicitur quod species archaee est vita in anima artificis, intelligendum de ipso intellectu agente, quod dicitur species specierum.

[88398] Albertus Magnus, Super De div. nom. (De pulchro), q. 7 a. 1 ad 8 Ad octavum dicendum, quod philosophus loquitur de intellectu divino per modum intellectus humani. Vult enim probare, quod intellectus divinus non accipit scientiam a rebus, sicut intellectus noster; si enim acciperet, sequeretur quod cognitio rei turpis moveatur ad turpe, sicut est in nobis. In Deo autem est cognitio ad esse, quod est causa rei, et non accepta a re; et ideo turpitudine scibilium non redundat in scientem.

Quaestio 8

Expositio textus

[88399] Albertus Magnus, Super De div. nom. (De pulchro), q. 8 expos. Deinde patet octo positos modos, quibus perfecta pulcritudo est in primo, reducendo ad causam quandam; scilicet quod est secundum se ipsum pulcrum, id est secundum suam essentiam; et ex hoc sequitur quod sua pulcritudo sit tantum ab una forma, et quod non habeat causam pulcritudinis, neque quantum ad esse, neque quantum ad augmentum. Secundum est, quod est uniforme in pulcritudine cum seipso: et ex hoc sequitur, quod secundum eundem modum sua forma sit causa pulcritudinis, et quod non sit pulcrum secundum unam partem sine alia, vel in una parte turpis et non in alia. Tertium est, quod perhibet in se eminenter pulcritudinem, quae est fontana causa exemplaris et effectiva omnis pulcri: et ex hoc sequitur quod non recipiat a rebus, sed perhibeat in se quod respectu omnium aequaliter sit pulcrum, simul in eadem natura in diversis speciebus. Deinde assignat causam eorum quae dixerat: omnis; quod omnis pulcritudo et quod omne pulcrum existit in prima pulcritudine: et dividitur in duo. In prima ostendit qualiter omnia pulcra sunt in primo pulcro, quod est effectivum pulcrorum; in secunda ostendit qualiter sunt omnia pulcra in ipsa natura pulcritudinis, ibi: et pulcro omnia uniuntur. Circa primum tria facit: primo dicit omnia pulcra sunt in primo pulcro, sicut in causa exemplari; secundo quod sicut in causa efficiente, ibi: ex pulcro isto; tertio quia sicut in causa finali, ibi: et propter pulcrum. Littera sic exponitur. Diximus quod perhibet in se pulcritudinem: etenim; id est quia in simplici et supersubstantiali natura omnium pulcrorum, id est divina, quae est exemplar omnium pulcrorum: *uniformiter praeexistunt secundum causam*, id est sicut in causa omnis pulcritudo et omne pulcrum.

Articulus 1

[88400] Albertus Magnus, Super De div. nom. (De pulchro), q. 8 a. 1 arg. 1 Videtur autem quod non uniformiter; quia, secundum Augustinum, Deus alia ratione causat hominem, et alia asinum; ergo non omnis pulcritudo est exemplariter in ipso uniformiter.

[88401] Albertus Magnus, Super De div. nom. (De pulchro), q. 8 a. 1 arg. 2 Praeterea, a sanctis dicitur quod sunt in ipso plures ideae et plures rationes, et sic videtur idem sequi.

[88402] Albertus Magnus, Super De div. nom. (De pulchro), q. 8 a. 1 arg. 3 Praeterea, non omnia sunt in ipso: creatura enim non est in creatore; ergo non sunt in ipso uniformiter, quia superius dictum est, quod omnium pulcritudo derivanda est a pulcro, praeter pulcritudinem primi.

[88403] Albertus Magnus, Super De div. nom. (De pulchro), q. 8 a. 1 co. Solutio. Dicendum quod omnia pulcra uniformiter (sunt) in Deo.

[88404] Albertus Magnus, Super De div. nom. (De pulchro), q. 8 a. 1 ad 1 Ad primum vero dicendum, quod rationes rerum quae sunt a Deo, secundum comparisonem ad efficiens, sunt unum, et secundum esse et secundum essentiam; quia ipsa divina essentia ratio et idea est omnium causatorum; sed tantum secundum respectus ad diversa causata habent quandam differentiam; unde simpliciter unum sunt, secundum quid vero plura; sicut centrum, unum in essentia, habet relationem ad plures lineas, ut principium eorum. Si tamen rationes essent simpliciter plures, quod falsum est, adhuc non sequeretur quod non esset una pulcritudo; quia ratio dicit dirigens in uno actu, pulcritudo vero dicit formam unam, ut principium respectu omnium, et ideo non multiplicatur secundum diversa opera, quia non dicit specialem respectum ad hoc vel illud, sed tenet se magis ex parte ipsius effectus quam ratio.

[88405] Albertus Magnus, Super De div. nom. (De pulchro), q. 8 a. 1 ad 2 Ad secundum dicendum, quod ratio et idea de intellectu sui habent respectum ad rem; ideo propter diversitatem rerum dicuntur plures ideae, nulla existente pluralitate in essentia quae habet illos respectus; sicut si diceretur plura principia, ut esset numerus tantum in relationibus et non in subiecto.

[88406] Albertus Magnus, Super De div. nom. (De pulchro), q. 8 a. 1 ad 3 Ad tertium dicendum, quod per hoc quod dicitur secundum causam, determinatur quod non sunt in ipso secundum proprium esse.

[88407] Albertus Magnus, Super De div. nom. (De pulchro), q. 8 a. 1 ad 4 Ad quartum dicendum, quod sicut supra dictum est, pulcritudo dicit participationem, et sic formam, pulcrum autem dicit participans; et sic nihil addit nisi maiorem recipientem. Et quia exemplaritas rerum formatarum est respectu formae tantum, ideo pulcrum non habet exemplar in primo nisi secundum pulcritudinem; et ideo omnia uniformiter sunt in ipso pulcrum et pulcritudo, quamvis in esse rei dividantur.

Quaestio 9

Expositio textus

[88408] Albertus Magnus, Super De div. nom. (De pulchro), q. 9 expos. Deinde dicit quomodo sunt in ipso ut in causa efficiente, dicens ex isto pulcro immateriali, quod Deus est, omnibus existentibus singulorum esse *pulcra secundum propriam rationem*: idest sicut ex efficiente primo. Videtur autem quod non secundum propriam rationem, sed secundum communem, quod ipse est causa communis omnium quantum in se, et omnibus aequaliter Deus est pulcritudo, sicut dictum est de lumine: et dicendum, quod propria ratio dicitur secundum hoc,

quod est secundum naturam pulcritudinis, et non secundum quod determinatur natura communis pulcritudinis ad diversam participationem in hoc vel in illo: hoc enim habet ex diversitate recipientium, ut saepe dictum est. Deinde ostendit quae sunt in ipso sicut in causa finali; dicens, et propter primum pulcrum sunt concordiae omnium, quantum ad collectionem diversorum in unum; et amicitiae, secundum quod diversa collecta unam formam consequuntur, ut forma mixti; et communicationes, in quantum ulterius progrediuntur in actum unum, et hoc communius est, et consequuntur pulcritudinem primi quantum possunt. Deinde ostendit quod etiam in prima pulcritudine, quae est natura communis pulcrorum, manans a pulcritudine primi, sunt omnia pulcra, praedictis tribus modis, dicens et ibi: et omnia pulcra; in pulcro uniuntur, quod est natura communis pulcrorum, sicut in causa effecta. Ipsum enim, scilicet pulcrum, est principium effectivum omnium pulcrorum, et est movens tota, idest omnia pulcra, aut sicut efficiens, aut sicut finis; et continens omnia amore propriae pulcritudinis. In quantum enim unumquodque naturaliter amat suam pulcritudinem, quam in se habet, operatur ad continentiam et conservationem sui esse quantum potest: et est finis omnium sicut finalis causa, sicut supra habitum est: etenim cuncta fiunt per ultimam causam: et est causa exemplaris, quoniam secundum ipsum, scilicet pulcrum, cuncta determinantur sicut exemplar: quantum enim unumquodque habet de pulcritudine, tantum habet de esse.

Articulus 1

[88409] Albertus Magnus, Super De div. nom. (De pulchro), q. 9 a. 1 arg. 1 Videtur enim hoc esse falsum; quia natura pulcritudinis communis est forma pulcrorum, et non efficiens; ergo non sunt omnia pulcra in ipso sicut in efficiente.

[88410] Albertus Magnus, Super De div. nom. (De pulchro), q. 9 a. 1 arg. 2 Praeterea, sicut habitum est, bonum separatur a pulcro secundum intentionem: haec autem quae hic dicuntur de pulcro videntur magis bono convenire; ergo non debet ea attribuere pulcro.

[88411] Albertus Magnus, Super De div. nom. (De pulchro), q. 9 a. 1 arg. 3 Praeterea, videtur quod non omnia fiant pulcri causa: multi enim operantur propter aliquod turpe, sicut fornicari.

[88412] Albertus Magnus, Super De div. nom. (De pulchro), q. 9 a. 1 arg. 4 Praeterea, si omnia operantur propter pulcritudinem primi, tamen non consequuntur ipsam per suam operationem, immo, quandoque incidunt per operationes in magnas turpitudines: videtur quod nobile desiderium posset frustrari, quod reputat philosophus inconveniens in primo Ethicorum.

[88413] Albertus Magnus, Super De div. nom. (De pulchro), q. 9 a. 1 arg. 5 Praeterea, turpe destruitur per pulcrum; nihil autem appetit sui destructionem; ergo ipse non appetit pulcrum.

[88414] Albertus Magnus, Super De div. nom. (De pulchro), q. 9 a. 1 ad 1 Solutio. Dicendum ad primum, quod sicut dicitur in tertio physicorum, tres causae in unam incidunt: hoc autem non potest esse secundum intentionem causae, quia intentiones oppositae sunt, nec iterum secundum esse; quia cum forma sit effectiva per actum agentis, impossibile est ut idem sit esse efficiens et forma; unde impossibile est quod sit idem esse efficiens et forma. Propter quod etiam ibidem dicitur a philosopho, quod forma et efficiens non incidunt in idem numero, sed in idem specie: et ideo dicimus, quod incidunt in unum secundum intentionem causae, quod agens est unicum; quia natura ignis est una, cui accedit in generante intentio causae finalis secundum quod terminat motum agentis formae, secundum quod terminat potentiam materiae; et ideo si consideratur natura pulcritudinis, habet se in ratione trium causarum respectu pulcrorum.

[88415] Albertus Magnus, Super De div. nom. (De pulchro), q. 9 a. 1 ad 2 Ad secundum dicendum, quod bonum non se habet per se nisi ad intentionem finis; pulcrum autem, quia dicit resplendentiam formae super partes proportionatas materiae, habet se ad recipiendum intentiones trium causarum; et ideo quod hic dicitur, potius convenit pulcro quam bono.

[88416] Albertus Magnus, Super De div. nom. (De pulchro), q. 9 a. 1 ad 3 Ad tertium dicendum, quod nihil desiderat aliquid per suam operationem, nisi secundum similitudinem quam habet divinae pulcritudinis: unde et fornicator desiderat delectationem, quae proprie et vere in solo Deo est. Et ideo quamvis non omnia pertingant ad divinam pulcritudinem, vel desiderent eam, secundum quod est in ipso Deo, desiderant tamen eam in ipsa similitudine, et tamen non perveniunt ad eam.

[88417] Albertus Magnus, Super De div. nom. (De pulchro), q. 9 a. 1 ad 4 Et similiter dicendum ad quartum.

[88418] Albertus Magnus, Super De div. nom. (De pulchro), q. 9 a. 1 ad 5 Ad quintum dicendum, quod turpe, etiam in quantum turpe, desiderat pulcrum, ut dicitur in primo physicorum, non tamen sequitur quod desiderat suam destructionem; quia turpe non habet destructionem, cum sit privatio, sed potius per pulcrum est sua constitutio, et hinc desiderat sicut imperfectum perfectionem.

Quaestio 10

Expositio textus

[88419] Albertus Magnus, Super De div. nom. (De pulchro), q. 10 expos. *Propter quod et idem est bono pulchrum.* Determinavit de pulcro in se; hic determinat de eo quantum ad identitatem quam habet cum bono; et dividitur in duas. In prima ostendit quod pulcrum est idem bono, eo quod habet rationem boni; in secunda ex eo quod habet actum boni, quia scilicet omnia producit ad esse, sicut etiam bonum, ibi: hoc unum bonum et cetera. Prima dividitur in tres: primo dicit quod pulcrum est desideratum ab omnibus existentibus actu, et participatum ab eis, quod est de ratione boni; secundo quidem, etiam illud quod non est perfecte existens participat pulcrum aliquo modo, quemadmodum etiam bonum, ut dictum est; similiter ibi: audebit autem et hoc; tertio dicit quod pulcrum dicitur de causa prima per absolutionem omnium: pulcrum sicut et bonum, ibi: tunc enim et ipsum et cetera. Littera sic exponitur. Diximus quod omnia sunt in pulcro sicut in causa efficiente, finali, et exemplari; propter quod et pulcrum est idem bono. Cuncta desiderant bonum et pulcrum secundum omnem causam, idest secundum universalem causam: desiderat enim unumquodque tantum consequi bonitatem et pulcritudinem causae primae universalis; vel secundum omnem causam, idest secundum quemcumque modum causandi, et a quacumque causa causatum producat. Et quia nihil desiderat aliquid nisi aliquo modo sit simile sibi, ut dicit Boethius: aliquid autem simile bono et pulcro est per participationem eorum; et ideo sequitur, quod non est aliquid de numero existentium actu, quod scilicet habeat esse completum, quod non participet pulcro et bono.

Articulus 1

[88420] Albertus Magnus, Super De div. nom. (De pulchro), q. 10 a. 1 arg. 1 Videtur autem quod insufficienter per hoc ostendatur identitas pulcri et boni. Bonum enim secundum se desideratur, et similiter pulcrum, et non est eadem ratio pulcri et boni, ut supra dictum est: ergo desideratur per diversas rationes. Per hoc ergo non ostenditur quod bonum et pulcrum sint idem, nisi secundum subiectum, et hoc pronum est.

[88421] Albertus Magnus, Super De div. nom. (De pulchro), q. 10 a. 1 arg. 2 Praeterea, bonum se habet in ratione causae finalis, pulcrum in ratione formali, quia dicit splendorem formae super partes proportionatas; finis autem et forma habent diversas intentiones, unde ex opposito dividuntur: unde bonum et pulcrum non desiderantur secundum eandem rationem, et sic idem quod prius.

[88422] Albertus Magnus, Super De div. nom. (De pulchro), q. 10 a. 1 arg. 3 Praeterea, desiderium semper est perfecti; sed causa efficiens perfecta causa est, sicut forma et finis, quia nihil dat esse alteri nisi in se perfectum sit: ergo debuit ponere desiderium respectu causae efficientis, sicut respectu finis ex parte boni, et sicut respectu formae ex parte pulcri: quod enim respectu materiae desiderium non assignant inanimata, ratio est quia materia imperfecta est, et imperfectum non movet desiderium.

[88423] Albertus Magnus, Super De div. nom. (De pulchro), q. 10 a. 1 arg. 4 Praeterea, nihil desiderat illud quod per substantialem participationem habet, quia desiderium est rei non habitae, ut dicit Augustinus. Sed omnia habent bonum et pulcrum per participationem substantialem, ut dicitur in littera: ergo non omnia desiderant bonum et pulcrum.

[88424] Albertus Magnus, Super De div. nom. (De pulchro), q. 10 a. 1 arg. 5 Praeterea, quaeritur quomodo hoc, cum causae primae sint plura attributa, quare non omnia participantur ab omnibus causatis, sicut bonum et pulcrum: non enim omnia quae sunt a iusto iusta sunt, ut quae a vivo viventia, vel intelligente intelligentia; sicut omnia, quae a primo bono sunt, bona sunt, et pulcra quae a primo pulcro.

[88425] Albertus Magnus, Super De div. nom. (De pulchro), q. 10 a. 1 ad 1 Solutio. Dicendum ad primum, quod impossibile est eandem intentionem desiderii ferri ad duo diversa, non ordinata ad invicem et aequae prima. Propter hoc enim fames et sitis non habent eandem rationem desiderii, cum alterum sit appetitus calidi et sicci, frigidi et humidi alterum. Si autem duo sint ordinata ad invicem, ita quod scilicet unum sit per alterum, eadem intentio desiderii poterit ferri ad illa duo; sicut desiderium eiusdem rationis est, ad cibum et ad refectionem quae quaeritur per cibum. Cum autem ita sit quod forma et finis incidant in idem numero secundum diversas rationes; quia forma est finis, secundum quod ad ipsam terminatur motus agentis, et est forma, secundum quod terminat materiam, et appetitum ipsius, in quantum dat sibi esse; haec duo sunt ordinata ad invicem, quia esse est actus formae, et unumquodque ordinat ad suum actum. Et ideo ratio desiderii est respectu boni, quod terminat motum agentis, et haec est forma; et respectu ipsius pulcri, quod est ex eo quod forma supersplendet materiae dans esse ei; et ideo sufficienter per hoc probatur identitas pulcri et boni.

[88426] Albertus Magnus, Super De div. nom. (De pulchro), q. 10 a. 1 ad 2 Ad secundum dicendum, quod quamvis intentiones causarum sint diversae, et ex opposito divisae, non est tamen inconveniens quod causa una secundum intentionem suam ordinetur ad intentionem alterius causae; quamvis una causa non sit causa alterius secundum suum esse, sed sicut aequae primo. Materia enim non est causa formae, aut e converso, sed utrumque est causa compositi.

[88427] Albertus Magnus, Super De div. nom. (De pulchro), q. 10 a. 1 ad 3 Ad tertium dicendum, quod efficiens in ratione habet quod semper sit extra rem, et quia desiderium non est respectu eius, quod impossibile est participari; ideo non assignatur desiderium respectu efficientis.

[88428] Albertus Magnus, Super De div. nom. (De pulchro), q. 10 a. 1 ad 4 Ad quartum dicendum, quod quaedam participant pulcrum et bonum perfecte et simpliciter, quaedam vero secundum quid et imperfecte. Cum quidem imperfecte participant, non est dubium quia desiderant perfectionem in pulcro et bono; quod vero simpliciter et perfecte participant, possunt dupliciter considerari: aut absolute in se, et sic non desiderant cum habeant; aut secundum capacitatem ad exemplar, et sic semper possunt proficere in pulcritudine et bonitate, secundum accessum ad exemplar; et ideo semper desiderant perfectum in pulcro et bono. Concedimus autem quod secundum illud, quod participant, non desiderant.

[88429] Albertus Magnus, Super De div. nom. (De pulchro), q. 10 a. 1 ad 5 Ad quintum dicendum, quod sicut Boethius dicit, quod bonum et pulcrum sunt universales intentiones, instrumentum vero et sapiens particulares, et ideo non participantur ab omnibus sicut illa. Et hoc sic intelligendum est, quod pulcrum et bonum sint dispositiones causae, secundum quod est causa unica universorum univocorum; sapiens autem et iustum tantum respectu quorundam. Aliam dat solutionem; quod bonum dicit materiam, iustum vero actum: et hoc sic intelligendum est, quia bonum et pulcrum sunt attributa ipsius substantiae esse immediate, ita quod immediate subest eis secundum modum intelligendi; iustum autem et sapiens sunt attributa determinata a (...) ordinatas ad actum. Separata enim per intellectum virtute cognoscitiva et voluntate a primo, non erit sapiens et iustus, erit autem bonus et pulcher: et ideo hoc consequitur omnia causata, et non illa.

Quaestio 11

Expositio textus

[88430] Albertus Magnus, Super De div. nom. (De pulchro), q. 11 expos. Deinde ostendit quod et non existens participat utrumque, dicens: audebit autem et sermo et cetera. Videtur hic dicere, quod res et non existens, idest non perfecte existens, sed tantum in potentia mixtum privationi, scilicet materia, participat pulcro et bono, quia aliquo modo habet formam.

Articulus 1

[88431] Albertus Magnus, Super De div. nom. (De pulchro), q. 11 a. 1 arg. 1 Videtur autem hoc esse falsum. Quicquid enim participat albedinem, est album; ergo quicquid participat pulcritudinem et bonitatem, erit pulcrum et bonum: esse autem pulcrum et bonum est existens, ergo non existens erit existens, quod est impossibile.

[88432] Albertus Magnus, Super De div. nom. (De pulchro), q. 11 a. 1 arg. 2 Praeterea, aut forma, a qua est ratio pulcri et boni, est essentialiter in materia, quamdiu est sub privatione, quae hic non existens dicitur, aut non: si non, ergo non participat bono et pulcro, quod hic dicitur; si autem sit essentialiter in ea secundum aliquem modum, omnis generatio erit alteratio, quia erit transmutatio tantum secundum diversos modos.

[88433] Albertus Magnus, Super De div. nom. (De pulchro), q. 11 a. 1 arg. 3 Praeterea, secundum hoc videtur sequi laetitiam formarum, ut ponebat Anaxagoras, quod reprobatur est a philosopho in primo physicorum.

[88434] Albertus Magnus, Super De div. nom. (De pulchro), q. 11 a. 1 arg. 4 Praeterea, aut materia participat id quod acquirit per generationem, aut non. Si idem, quod ante participatur, habetur quod acquiritur, non habetur; ergo idem habetur et non habetur. Si vero non idem, tunc materia per generationem acquirit pulcrum et bonum, videtur quod non participet pulcrum et bonum.

[88435] Albertus Magnus, Super De div. nom. (De pulchro), q. 11 a. 1 co. Solutio. Dicendum, quod in hoc sunt tres opiniones de exitu formarum in esse. Quidam enim, ut Plato et Avicenna, et plures alii, formas dicunt advenire omnino ab extrinseco, ponentes eas dari a datore; et sic ponebant formas esse per creationem, non quod fiant in aliquo subiecto, sed quia non sunt ex aliquo suae essentiae praeexistente, et quae sic causata sunt possunt ab aeterno esse. Sic enim ponunt intelligentias esse irradiationes esse primae causae; et mundum similiter quidem ponunt ab aeterno esse, ponentes materiam coaeternam primo: creatio autem compositi ab aeterno non potest intelligi. Quidam ponebant formas praeexistentes in mundo, quorum quidam dicebant causas esse actu in materia: sicut Anaxagoras ponebat corpora similia principio, et quodlibet in quolibet esse; denominari autem unumquodque a praedominanti in ipso, quamvis nihil sit physice caro, aut os; et exitum unius ab altero dicebat generationem. Alii autem sequentes Aristotelem, quorum opinio celebrior est, dixerunt formas praeexistere in materia, in potentia, et per actionem efficienter trahi eas de potentia ad actum.

[88436] Albertus Magnus, Super De div. nom. (De pulchro), q. 11 a. 1 ad 1 Secundum hanc igitur opinionem dicendum, ad primum, quod non sequitur aliquid esse et pulcrum et bonum nisi pertineat bonitate et pulcritudine; similiter quia, sicut dicitur in secundo capitulo, difficile est coniuncti denominationem, quae fit ab accidente; quia non omne, cui inest albedo, album est, sed cui inest simpliciter. Materia autem non semper participat pulcro et bono, sed in potentia, et propter hoc ratio non sequitur.

[88437] Albertus Magnus, Super De div. nom. (De pulchro), q. 11 a. 1 ad 2 Ad secundum dicendum, quod forma quaedam est una, duplex esse habens, scilicet in actu, et esse in potentia. Primum quidem esse, quod est esse simpliciter, habet in composito; secundum vero, quod est esse secundum quid, habet in materia: et ideo non est dicendum quod sit essentia formae in materia, quia per hoc significatur quod esset ibi simpliciter; quamvis concedatur quod forma sit in materia secundum quid, quia in potentia: et quia esse in potentia, et esse in actu, non dicit modum accidentalem formae, sed ipse ipsius. Ideo non sequitur quod sit alteratio quando forma trahitur de potentia in actum; quia alteratio est quando, manente eodem subiecto, fit transmutatio circa passiones; in

generatione autem non manet idem subiectum, sed est motus de non subiecto ad subiectum, ut dicitur in V physicorum.

[88438] Albertus Magnus, Super De div. nom. (De pulchro), q. 11 a. 1 ad 3 Ad tertium dicendum, quod non sequitur latitantia, nisi ponamus formas praeexistere actu in materia.

[88439] Albertus Magnus, Super De div. nom. (De pulchro), q. 11 a. 1 ad 4 Ad quartum dicendum, quod idem participat et acquirit, scilicet formam, sed secundum diversum esse, sicut dictum est. Et nota: quamvis materia dicatur non existens, quia non est in actu, quia naturae dicitur ens, materia tamen est existens ita quod materia sit ex parte praedicti, et est actu materia, quia esse materiae non est esse in actu, sed esse in potentia.

Quaestio 12

Expositio textus

[88440] Albertus Magnus, Super De div. nom. (De pulchro), q. 12 expos. Deinde ponit tertium dicens: tunc enim et ipsum pulcrum et bonum; supra dicitur ens, quando scilicet laudatur pulcrum et bonum in Deo: supersubstantialitatem, idest superbonitatem, et pulcritudinem omnis substantiae secundum ablationem omnium. Ex hoc enim quod omnia excedit, oportet quod omnium bonitates ex ipso removeantur. Videtur autem quod non possit nobis manifestari sua bonitas et pulcritudo secundum ablationem omnium. Quod enim nihil ponit, ergo nihil ponit, nego; nihil ponit, ergo nihil certificat. Et dicendum, quod huiusmodi negationes, quibus certificantur divina, habent unam negationem; habent videlicet in genere, quod relinquentes genus negando unam, deinde certificant de opposita; et sic semper negando devenitur ad propriam cognitionem rei. Sicut si dicatur quod homo non est substantia incorporea, neque inanimata, neque insensibilis, neque irrationalis, neque immortalis; et similiter negatis omnibus causatis a prima negatione relincente ipsum esse, datur intelligi ipsum habere esse quod est, scilicet esse omnis causati, et hoc est proprium suum esse; de hoc autem plura dicta sunt secundo capitulo coelestis hierarchiae. Deinde ostendit identitatem boni et pulcri, ex hoc quod communicant in eodem actu, quod est omnium causam esse; et dividitur in duo. Primo ostendit de utroque quod sit causa omnium, ratione singulorum; secundo respectu universitatis, ibi: et rursus omnium. Prima dividitur in duo; in primo proponit in generali, in secundo manifestat in speciali, ibi: ex hoc omnes. Dicit ergo primo, hoc unum bonum et pulcrum, scilicet, quod laudatur secundum omnium ablationem, est causa omnium pulcrorum multorum: quia ratio pulcritudinis in proportione cuiusdam multitudinis est, et bonorum singulorum, idest singulatim uniuscuiusque. Deinde ostendit in speciali: et primo quantum ad esse perfectum rerum, secundo quantum ad conservationem in esse perfecto, ibi: omnium eorundem et cetera. Prima dividitur in duas. In prima ostendit pulcrum et bonum esse causam omnium quantum ad esse absolutum; in secunda quantum ad ordinem unius ad alterum, ibi: providentiae superiorum. Esse autem absolutum est dux: quia autem est esse substantiale, et quantum ad hoc dicit, quod ex hoc, idest ex bono et pulcro, sunt omnes substantiales essentiae existentium, aut esse continens substantiam. Et hoc est duplex: vel ex parte materiae, vel ex parte formae; et si ex parte formae, hoc iterum est duplex. Cum enim omnis forma dicat quale, tam substantialis quam actualis, poterit esse de esse secundum actum substantiales differre, licet secundum actum accidentaliter differentiae; si secundum actum differre substantiales, aut quantum ad actum ipsius formae, et sic dicitur uniones et discretionem per oppositum, in quantum forma facit unum in se et discernit ab alio: esse autem unum est esse continens primum esse, quod similiter per actum substantialis formae: est autem quantum ad effectum quod relinquitur ex ipso actu secundum relationem consequentem; et sic dicit identitates et alteritates et diversitates. Secundum quod dicit philosophus in V metaphysicorum, quod unum in substantia facit idem, et multitudo divisum; facit autem unum idem per additionem relationis supra ipsum, quia omne idem eidem idem est. Quantum vero ad actum differre accidentaliter, dicit similitudines et dissimilitudines: unum enim in qualitate facit simile, ut idem dicit philosophus. De quantitate autem non facit mentionem, nec diceret aequalitates et inaequalitates, quia quantitas est dispositio materiae; qualitas autem fluit magis a forma, a qua est pulcritudo et bonitas, et non ex materia. Ex parte vero materiae dicit coniunctiones contrariorum, quae sunt materia compositorum, in quantum communicant in materia, idest incommixtiones eorundem unitorum; in quantum uniuntur in forma mixti, et tunc immixtio refertur ad esse primum, secundum quod unumquodque elementorum manet in mixto, secundum scilicet esse quod habet ex forma substantiali, quae non est principium agendi neque patiendi, ut dicitur in secundo de

generatione. Unitio vero non refertur ad secundum esse, quod scilicet habent secundum qualitates quibus agunt et patiuntur quae commensuratur et efficitur quaedam qualitas. Ordo autem qui est aut superiorum ad inferiora; et quantum ad hoc dicit *providentiae superiorum*, quibus scilicet provident inferioribus: aut aequalium ad aequalia, et sic dicit *alternae habitudines coordinatorum*, idest similiter et aequaliter ordinatorum, quibus unum se habet ad alterum socialiter cooperando sibi: aut inferiorum ad superiora, et sic est, quod dicit *conversiones minus habentium*, idest inferiorum deficientium a principibus superiorum: conservantur enim in ipsa sicut in perfecto. Conservatio autem in esse perfecto est dupliciter: aut secundum conservativa intra quae sunt principia rei, et hoc dicitur secundum mansiones omnium eorundem quae dicta sunt, quibus per malitiam habent ex suis principiis conservativae et intransmutabiles, idest intransmutabiliter conservantes; aut est secundum conservans extra, et sic dicitur collocationes: locus enim est continens extra, et in omnibus istis supplendum est. Ex hoc Dionysius ostendit, quomodo utrumque est universalis causa respectu universitatis. Et primo quod sunt causae universitatis quantum ad esse, secundo quantum ad bene esse, ibi: stationes et cetera. Quantum ad esse dupliciter: scilicet quantum ad ipsum esse, et quantum ad perpetuitatem ipsius; et si primo modo dupliciter: aut quantum ad ipsum fieri, aut quantum ad factum esse. Ad fieri autem universitatis quinque concurrunt. Primum est unitas materiae; et quantum ad hoc dicit: et rursus ex hoc, scilicet pulcro et bono, sunt *communiones omnium in omnibus iuxta proprietatem uniuscuiusque*; quia materia unicuique efficitur propria, quamvis sit communis omnibus. Secundum est praeparatio materiae per dispositiones accidentales, et secundum hoc dicitur adaptationes. Tertium est adunatio elementorum contrariorum sub forma mixti; et sic dicit inconfusae amicitiae: inconfusae autem dicit propter esse primum, quod unumquodque elementorum servat in mixto; amicitiae, quantum ad unionem, quam habent in esse secundo: unde et Empedocles dicebat, quod amicitia movet elementa ad commixtionem; illa autem amicitia est ex forma dirigente in unum. Quartum est ordinatio mixtorum ad complexionem; quia addit supra mixtionem distinctionem humorum: unde non omnia mixta complexionata sunt; et quantum ad hoc dicit harmoniae omnis rei (alia translatio universitatis), quia totum est coniunctio partium in toto; et quantum ad hoc dicitur in omni (alia translatio in universo) concreciones, idest compositiones indissolubiles. Secundum vero quod sunt iam in facto esse, sequitur continentiae iam existentium; quantum vero ad perpetuitatem essendi, sequitur *indeficientes successiones eorum quae fiunt*, idest generabilium, in quibus salvatur divinum esse perpetuum per successionem generationum. Sed bene esse est dupliciter; aut secundum actum perfectum, et sic dicit stationes omnes; aut secundum actum imperfectum, et sic dicit motus: est enim motus secundum philosophum actus imperfectus, medius inter potentiam et actum. Deinde determinat quorum sint isti motus, dicens quod scilicet motus sunt mentium, idest Angelorum, animarum, et corporum; et non est intelligendum de motu physico (sic enim probatum est a philosopho in primo de anima quod anima non movetur), sed de motibus desideriorum in pulcrum et bonum. Deinde hoc probat similiter, ostendens unde sunt isti motus, dicens, enim; idest quia omnibus praedictis est *statio et motus*, idest causa stationis et motus, idest *quod est super omnem stationem* motum, scilicet Deus, *collocans unumquodque*, idest firmiter statuens, *in ratione ipsius*, idest in participatione pulcri et boni, *et movens omnia ad divinum motum*, idest secundum motum qui in Deo est.